DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

AMENORRHOEA.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

AMENORRHOEA.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

ALEXANDER STRAITH,

EX AGRO NARNIENSI,

SCOTUS.

Da veniam ſcriptis, quorum non gloria nobis
Cauſa. OVID.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXVII.

Patri ſuo optimo

JOANNI STRAITH,

Ea qua par eſt pietate,

Haſce ſtudiorum primitias

Sacrare voluit

ALEXANDER STRAITH.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

AMENORRHOEA.

CERTO vitae tempore, nempe circa pubertatem, totum virginis corpus, ſed praeſertim regio uterina, magnam ſubit mutationem. Vaſa enim genitalia, in uteri fundum deſinentia, circa hoc tempus maxime patefacta, per paucos dies humorem prius ſeroſum, dein ſanguineum, ſub finem effuſionis rurſus pauliſper ſeroſum trajiciunt. Eluvionem hancce jam adfuturam, edocent plurima ſymptomata. Hebeſcunt oculi inſolito ſuffuſi languore, et cavi fiunt palpebrarum orbes: Liveſcunt

genae, roſeo orbatae colore: Vultus pallet, nec aegrae amplius gratus ex ore halitus. Adficitur etiam puella dolore capitis, laſſitudine, praeſertim artuum, doloribus urentibus, lumbos et regionem uterinam praecipue infeſtantibus; alia praeterea debilitatis indicia in medium procedunt.

Signa jam relata primum menſtruorum fluxum praeſagiunt et comitantur; qui per dies tres vel quatuor emanare perſtans, foeminam aeque ac antea ſanam relinquit. Cum autem ultra ſeptimanam duraverit, *morbida* ab auctoribus dicitur effuſio. Menſtrua, eo vitae tempore, quo fluere ſolent, non omnino accidentia, inſtantibus ſimul affectionibus ſupra recenſitis, *emanſio* menſium a Noſologis vocantur *. Menſtruorum vero *ſuppreſſio* eſt is ſtatus, in quo poſtquam fluere coeperunt, ex toto compeſcuntur. Menſtrua juſto parciora, aut cum dolore fluentia dyſmenorrhoeae, ſeu *amenorrhoeae* difficilis nomen accipiunt †.

Quia

* Cull. Noſ. Meth. G. cxxvi. ſp. 1.

† Ibid.

Quia noxae has diverſas morbi ſpecies facientes, et auxilia eas tollentia, eadem ſunt, de omnibus ſub nomen amenorrhoeae, hic ſimul tractabitur.

Tempus aetatis quo fluxus hic incipit, pro corporis conditione, vivendi modo, multiſque aliis rebus, ſerius aut citius eſſe conſuevit. In plagis ad ſeptentrionem ſpectantibus frigidiſque, multo tardius quam in Auſtralibus calidiſve, virgines adoritur. Nihilo ſecius ubique terrarum, quo lautior fuerit victus, quo magis foemina ſit praecox, et quo maturius amori dedita, eo citius menſtrua erumpunt. In hac inſula, annum circiter decimum quartum matureſcit puella. In regionibus autem calidioribus, annum aetatis nonum * agentes, menſtrua primum habere dicuntur foeminae; dum, e contrario, Laplandicae duplo tardiores.

Variat etiam, ex cauſis jam relatis, aetas qua decedit profluvium menſtruorum. Pleriſque mulieribus, annos quadraginta quatuor,

* Van Swiet. de Morb. Virg.

tuor, vel ad ſummum quinquaginta habentibus, fluor hicce adeſſe deſinit. Verum, eorum ex toto ceſſatio, iiſdem, ac ortus, ſubjicitur varietatibus.

Hoc modo prodit fluxus muliebris, omnique ſanae, poſt confectum lunae curſum, (in aliis alio intervallo), denuo adparet, iiſdem fere ſignis praegreſſis, iiſdemque fere ſymptomatibus ſtipatus. Nec deſunt exempla foeminarum, quae primo hujus fluxus adortu, et ejuſdem reditu, nullum dolorem, nullamve prorſus invaletudinem, patiuntur. Foeminae quibus menſtrua omnino deficiunt, vel abnormia ſunt, ſaepe non ſolum morboſae, ſed maxima ex parte ſteriles ſunt. Ex hoc ſatis luculenter patet, conſtantem et regularem menſtruorum fluxum, et ſanitati et foecunditati prorſus neceſſarium eſſe. Auctores, de copia ſanguinis, ſingulis vicibus excreti, haudquaquam in eandem ſententiam iverunt. Hippocrates ad heminas duas Atticas * (ſcilicet, circiter uncias

* Hippocr. de Morb. Virg.

cias ſedecim) collocat. Quidam ſex vel octo * plerumque excerni dicunt. Alii ſex, ſeptem, decemve † excretas eſſe affirmant. At cl. De Haen, multis experimentis ingenioſiſſimis, clare oſtendit, ſanguinem una vice effuſum, vix unquam uncias tres, quatuor, vel quinque ſuperare; nec majorem copiam effundi poſſe, niſi corpus aliquo morbo afficiatur ‡. In regionibus vero ſeptentrionalibus, unoquoque tempore copia minor, in Auſtralibus major fere ſemper extat. Obiter hic memorare licet, foeminas, bono loco natas, obque hanc cauſam majus ignaviae luxuriaeque deditas, menſtrua majore copia habere, fluxuſque durationem in majus prolatam, quam eae quae vitam parce ac duriter agunt, et victum quaeritant ſudore vultus; tantum honeſti laboris ac virtutis premium voluit Alma rerum Parens!

Menſtruo

* Haller. Prim. Lin. 861.

† Hom. Prin. Med.

‡ De Haen Rat. Med.

Menſtruo foeminarum profluvio progredi pergente, hae multis magniſque noxis ex illorum abnormi curſu objiciuntur, quarum non leviſſimae ſunt eae, quae ab retento vel omnino obſtructo ejus flumine ortum ducunt. Hoc ſequentis diſputationis argumentum ea propter ſelegi, quod humani generis plurimum interſit omne malum ſexum foemineum invadens; quodque hoc, prae caeteris, corpus earum tenerarum laceſſentibus, acerbum atque grave exiſtat, haud raro lethale evaſurum. Propoſitum noſtrum igitur tenentes, de obſtructione menſium, amenorrhoea dicta, verba factituri, ad ſymptomatum narrationem deinceps aggredimur.

Signa hujus fluxus retentionem primum manifeſtantia, eadem ſed graviora ſunt, ac ea, quae prima menſtruorum molimina comitantur. Et praeter haec, totum eſt infirmum corpus, ejuſque color vitiatur. Labeſcit cibi cupiditas atque concoctio; laborat aegra rerum minime eſculentarum deſiderio. Adſunt etiam mammarum laxitas,

oſcitatio

oſcitatio frequens, anorexia et nauſea. Crebri oriuntur ardores febriles; interdum maculae et puſtulae cutaneae in conſpectum prodeunt. Pulſus fit velox; et caput magno vexatur dolore. His plerumque ſuperveniunt reſpiratio difficilis et frequens, palpitatio cordis et ſyncope; noviſſime pedes molli inflantur tumore, indeque reliquum corpus, ex quo ipſa gignitur inter cutem aqua *.

Hiſce greſſibus incedens amenorrhoea, leucophlegmaſiam, vel hydropem, tabem, hyſteriam, et alia graviſſima mala, creat. Sed haec non niſi a menſtruis per longum tempus ſuppreſſis oriuntur.

DIAGNOSIS.

Si amenorrhoeae ſymptomata rite obſervantur, haud difficilis erit diſtinctio inter hunc

* Lom. Obſerv. Med. lib. 2.

hunc et alios morbidos adfectus; nullus enim eſt, qui menſtrua ſuppreſſa exacte refert. Inter menſtrua autem ex conceptu, et illa ex aliis cauſis deficientia, haud facile inſtituitur diſcrimen. Verum, ſi diligenter inveſtigemus, queis ex rebus malum exortum ſit; quibus praeterea aegritudinibus afficiatur puella; plerumque judicium minime fallax dare poterimus. Si vomitus, poſt menſtrua ſuppreſſa, praeſertim mane infeſtat, ſi in ſuſpicionem nomen aegrotae incurrat, ſi denique, quatuor vel quinque menſibus elapſis, omnia haec ſigna negotium faceſſere deſiſtant, nobis concludere fas ſit, morbum ex conſuetudine cum viro ſuam ducere originem. Vice verſa, ſi ſigna memorata, poſt dictum tempus ingraveſcere pergant, ſi languor, membrorum tumor, debilitatiſque caetera ſigna magis indies augeſcant, et ſi chloroſi affectae ſpeciem prae ſe ferat aegrota, perſuaſiſſimum habeamus, eam vero morbo implicari; nullamque, quantum ad nos attinet, moram eſſe debere ad idonea remedia confugiendi.

PROGNOSIS.

PROGNOSIS.

Prognoſis hujus morbi plerumque admodum incerta, ſemper caute facienda eſt. Nam diuturna menſtruorum ſuppreſſio, graviſſimarum fomes aegritudinum eſt, ut melancholiae, hyſteriae, et hujuſmodi. Sed ſi mulier ſit juvenis, per breve tempus aegra, et corpus nullo praeeunte morbo debilitata, benignus eventus ſperandus eſt.

Quae foemina non peperit, gravius et citius menſtruorum laborat ſuppreſſione, quam ea, quae peperit *.

Hoc porro obſervare licet, prognoſin, omnibus menſtruorum retentorum caſibus accommodatam, exhibere minime in nobis ſitum eſt; quoniam adeo diverſis corporis conſtitutionibus, diverſae aegrae ſunt, adeoque multae res quae proſint vel obſint ejus

* Lom. Obſerv. Med. loc. cit.

curationi, morbi curſu eveniunt, quod noſtrum judicium immutare valent. In univerſum vero, nobis felicem morbi finem expectare licebit, ſi ſuppreſſio parum diu continuavit, ſi ex frigore, aliave ſubitanea cauſa, nata eſt, ac poſtremo ſi puella juventa adhuc floret, caeterumque integra valetudine fruitur.

CAUSÆ REMOTÆ

Plurimae hunc morbum cientes, ab ſcriptoribus medicis relatae ſunt. Quarum nullae vel frequentiores vel vehementiores ſunt, quam quaedam mentis affectiones deprimentes, veluti metus, triſtitia, &c. Hae enim, debilitatem totius corporis inducendo, cordis et omnium vaſorum vim contractilem minuendo, vaſa uterina ita adficiunt, ut ad ſanguinem propellendum et trajiciendum,

endum, non amplius valeant, donec ad contractiones majores et concitatiores cieantur.

Altera cauſa menſtrua ſuppreſſa haud raro creans, eſt frigus, praeſertim ſubitaneum, vel cum calore alternans, corpori admotum. Hoc magnam corporis infirmitatem faciens, ſimili etiam modo, quo affectiones mentis, agit.

Quidam medici ſolertiſſimi affirmant, nullam noxam adeo frequenter hunc morbum inducere, ac amoris inopiam; nam uti cauſa naturalium menſtruorum videtur eſſe vaſorum, ſanguinem fundentium, tempore pubertatis conformatio, et vis amoris, in mulieribus, quam aliis foeminis potentior; ita ſtimuli hujus, eoque conformationis, defectus, tam ceſſationem, quam retentionem, et juſtam demum ſuppreſſionem creat *. Et ſane haud negandum eſt, multum cauſae relatae, in menſtruis obſtruendis, deberi.

Exiſtunt aliae hujus morbi cauſae, notatu dignae, uti vita ſedentaria nimiuſque liquorum

* Vide Elem. Med. Brun. DXXIII. et ſeq.

quorum debilitantium uſus, quales ſunt thea, coffe, &c. quae omnes, robur corporis imminuendo, laxitatem et debilitatem generalem inducendo, effectus ſuos edunt.

Amenorrhoea ſaepe, morbis praegreſſis, corpus maxime debilitatum efficientibus, originem haud raro debet.

Noxas omnes, menſtruorum retentionem vel juſtam demum ſuppreſſionem creantes, hic ſigillatim recenſere, operae haudquaquam pretium ducimus, quia omnes ſimilem in corpus foemineum actionem exhibent.

CAUSA PROXIMA.

Cauſa proxima amenorrhoeae diu multumque a medicis eſt exagitata. Quidam enim plethorae, natura rectrice gubernante, eam tribuerunt *. Alii in obſtructionem vaſorum uteri, ſpiſſitate ſanguinis natam, omnem

* Juncker.

omnem conferunt culpam *. Alii vero, majore cum verisimilitudine, menstruorum tam retentionem, quam suppressionem, habere pro causa, totius corporis laxitatem et vasorum uterinorum actionem debiliorem. Multis argumentis opinio haec stabiliri potest; sed ex hac re satis firmamenti habet, quod omnes causae remotae, supra jam memoratae, quales sunt adfectus animi deprimentes, frigus, et omnium potentissima, amoris sive libidinis inopia, totum corpus, et praecipue vasa uterina, ita debilitant, ut sanguinem trajicere non valeant. Causa igitur amenorrhoeae proxima in debilitate posita esse videtur †.

Menstruorum vero suppressionis, vasorum uteri extremorum contractionem minime naturalem incusandam censent nonnulli.

* Boerh.

† These effects (viz. of the retention of the menses) consist in a general flaccidity of the system, and consequently in a weaker action of the vessels of the uterus, so that debility may be considered as the more immediate cause of the retention. Cull. Practr. of Phys. MIII.

nulli. Hujus ſententiae fautores eam fulcire ſequentibus conantur. Primo, cum ſigna extremae debilitatis, menſium retentionem vulgo comitantia, hic non ſemper obſervanda veniunt, cauſam hujus neceſſario reſpuunt; ſecundo, quemadmodum haec ſpecies pro cauſa agnoſcit, quicquid ſubita vi conſtrictionem, ſpaſmumque conſequentem, inferre poſſit, ita non poteſt inficias iri, quin ſtatus vaſorum coarctatus cauſa proxima ſubeſt. Ad hanc doctrinam ulterius confirmandam, firmiſſime adſeveratur, morbum hunc ab adfectibus animi deprimentibus, aliiſque id genus, eſſe illatum. Hi adfectus vaſorum extremorum contractionem vel ſpaſmum gignendo ſuum perficere opus exiſtimantur *. Attamen has noxas, quae ſpaſmum vaſorum uteri inducere dicuntur, modo prius relato, nempe ſtatum totius corporis aſthenicum, et vaſorum, ſanguinem ſecernentium, actionem imminutam inducendo, agere veriſimilius eſt. Utrum vero talis

* Cull. Pract. of Phyſ. MVIII. MIX.

talis unquam exiſtit vaſorum in uteri parietes deſinentium conſtrictio, ſive ſpaſmus, peritioribus dijudicandum relinquo.

CURATIO.

Cum cauſa hujus morbi, ex totius corporis, imprimis autem vaſorum uterinorum laxitate et debilitate, pendere videtur, ita medendi conſilium erit, primo totum corpus roborare; et ſecundo, vaſorum uterinorum actionem praecipue excitare *.

Auxiliorum primae conſilii parti reſpondentium praecipuum eſt exercitatio. Quantum prodeſt corporis exercitationis uſurpatio omnibus morbis, laxitati et debilitati ortum debentibus, nemini, qui vel primoribus labris medicinam deguſtarit, latere poteſt. Quare tam magnum commodum ſecum adfert hoc remedium, ratio in aprico eſt;

* Cullen's Pract. of Phyſ. loc. cit.

eſt; nam hominibus hoc diligenter utentibus, omnes corporis functiones maxime excitantur, ſicque vim atque robur majora acquirunt, ſingulaeque magis aptae evadunt ad ſuum opus perficiendum, ac conſilia exequenda naturae, illis initio aſſignata. Haec revera accidere, ſatis luculenter conſtabit, ſi nobiſcum reputemus quam firma corporis conſtitutione, quamque vegeti ac ſani ſunt ii, qui ruri degunt, ibique duro neceſſitatis telo coacti, aſſiduam atque operoſam vitam agunt; quamobrem, non in minimis bonis ponendum eſt, quod 'nil ſi-'ne magno vitae labore natura dedit morta-'libus.' Multa exercitatione uti, ad hujus morbi curationem, prae caeteris pertinet, quod cauſam ejus minime infrequentem poſuimus inertem atque languidam vitam. Tamen alia genera hujus, aliis melius reſpondent; in univerſum actuoſa quaeque aliquem aegrotae niſum requirunt, iis quae peraguntur nullo illius molimine multo praeſtant. Hoc conſilium animadvertentes, haud ſine cauſa affirmare audemus, equitationem, curſum,

ſum, ſaltationem, ambulationem, aliaſque ejuſdem generis, geſtationi, frictioni, &c. palmam facile praeripere. Sed praeceptum hoc adhibere oportet, adhibitoque pareatur, ut ſemper a lenioribus initium ſit capiendum, paulatimque ad fortiores eſcendendum.

Cortex Peruvianus et vinum, hujus morbi, aliorumque conſimilis naturae, adeo ſunt communia et pervagata remedia, ut omnibus lippis et tonſoribus nota eſſe videantur. Virtutes medicatrices, quas haec prae ſe ferunt, quamvis experientiae teſti veriſſimo jamdiu ſubjectae, nihilominus adhuc controverſae ſunt. Corticis natura et effectus, medicis ſeculi prioris, adeo obſcura videbantur, ut nullam auderent opinionem de iis in medium proferre, contenti affirmando ſingulares habere dotes, quaſque appellantes verbo parum Latino *ſpecificas*, ſuae ignorantiae velum obtendebant, haud ſane abſimiles affinibus ſuis eruditione monachis, ſecluſiſque eccleſiaſticis iſtius temporis, qui, quandocunque aliquem litera-

rum humaniorum librum, vel Latinitatis purioris auctorem, offenderunt, de eo haud dubitarunt affirmare: 'Graecum eſt, nec 'poteſt legi nec intelligi.'

Medicis noſtrae aetatis felicioribus eſſe contigit. Longe alia via ac antiquiores procedere coeperunt, inque vicem, theorias nullo fundamento innixas ſtruendi, et lectores, maximamque partem humanum genus lactandi, falſaque ſpe producendi, experientia duce, rectam inſtitere ſemitam, prius ruderibus remotis quam fundamenta jacere aggrederentur, aedificium plerumque ſtabile, ſibique conſtans, omnibus ſuis partibus inter ſe apte cohaerentibus, extruxere. Notioni corticis Peruviani in corpus humanum ſpecialiter agentis, quanquam fere obſolevit, ſui non deſunt patroni. Sententia vero, quam propugnant, opinor, minime teneri poteſt. Profeſſor noſter, cujus ſolertia atque ingenii acumen, nullis non medicinae partibus, lucem feliciter offuderunt, totam rem clariore in monumento poſuit *.

Ille

* Cull. Pract. of Phyſ. CCXII. et ſeq.

Ille enim gravibus evincit argumentis corticem tonica virtute gaudere; quoniam multis debilitatis casibus auxilio perquam certo sit, praeque caeteris gangraenae, aliisque vitiis, debilitate quoquo modo natis. Ex hac theoria constituta, multum dehinc commodi arti Apollineae accedat, necesse est, utpote regulae illinc deducendae, ejus usum in morbis satis accurate definiunt. Menstruis deficientibus, hoc non potest non esse utile remedium: Modus ejus exhibitionis, mali durationi, caeterisque aegrae rebus circumstantibus, exacte adcommodandus.

Vinum in eadem cum cortice clausula ideo conjungere visum est, quod consimilis operis a nonnullis * judicatur, quodque saepissime cum remedio proxime memorato administratur. Certe ex omni potus genere, vinum praestantissimum est, non solum ob gratum, quo adficit palatum, saporem, verum propter exhilarantes laetificantesque dotes

* Vid. Elem. Med. Brun.

dotes quas impertit mortalibus aegris. Nullo melius quam hoc poſſumus lenire trepidam ſollicitudinem, neque ullus liquor animum adeo placidum vacuumque curis dimittit. Effecta vero ejus a poëtis, viris nempe divino numine afflatis, ſatius magiſque eleganter deſcribuntur. Horatius, ille perſpicax morum obſervator, in effectibus hiſce deſcribendis, omnes vel hodiernos vel recentiores, quotquot vidi aut novi, longe antecellit.

Quid non ebrietas deſignat? Operta recludit,
Spes jubet eſſe ratas; in proelia trudit inermem;
Sollicitis animis onus eximit; addocet artes,
Foecundi calices quem non fecere diſertum?
Contracta quem non in paupertate ſolutum?

Magnos in huic morbo medendo fructus praeſtare pronum eſt credere, ſi conſideremus quam idoneum eſt ſtomacho, propter jucunditatem atque dulcedinem, quas maximas habet, quodque aegrae in hoc morbo plerumque ſtomachio imbecillae ſunt, atque faſtidio tantum non perpetuo vexantur. Vinum cum cura et prudentia adhibitum, cer-

te in omnibus debilitatis morbis, nulloque magis quam in hoc, multum prodeſt. Saepe etiam cum cortex Peruv. per ſe datus fruſtra fuit, huic conjunctus optime ceſſit. Ex omnibus vini generibus, iſtud e Portu Callenſi importatum, fauſtiſſimo omine dari poteſt; opinio, ejus uſum propter vim aſtringentem circumcidens, nihili facienda.

Balneum frigidum a nonnullis tanquam remedium minime ſpernendum jactatur. Et quidem, ſi vim ejus in ſanum corpus animum advertamus, in eandem ſententiam haud cunctanter diſcedemus, quandoquidem, tantum vigoris roboriſque addit, quantum vix cuiquam credibile eſt.

Ejus adminiſtratio propriam deſiderat animadverſionem, ſiquidem in aliis alia eſt. Debilibus, diuturnitateque morbi confectis, applicatio ejus non abſque periculo eſt, atque non, niſi ſumma cautione adhibita, experiendum. Tantum primo morbi ſtadio, vel ſaltem, aegra non multum corpus morbi vi fracta, uſurpandum. Memoria tamen tenendum, tempus in balneo commorandi,

aegri

aegri viribus, conſuetudinique priſtinae, reſpondere debere.

Opium a quibuſdam medicis multum dicitur adferre commodi, quippe quod inſigni, qua gaudet, vi omnes corporis actiones excitandi, pulſuſque roborandi, auxilium fit maxime idoneum ad debilitatem tollendam, et imminutam vaſorum uterinorum actionem augendam. Quoniam autem hujus ſtimuli effectus per breve tantum tempus perſtat, cum tonicis ac ſtimulantibus ſupra relatis optime conjungitur, itaque certiſſime medentium votis reſpondit.

Ad ſecundam conſilii partem perficiendam, nempe vaſa uterina ſtimulare, maxime proſunt purgantia, quorum efficaciora ſunt ea quae ſuum opus in inferiorem inteſtinorum partem praecipue edunt, obque ejus utero vicinitatem, facere non poſſunt, quin illum valde afficiunt. In horum numero ſunt aloe, ſcammonium, aliaque quae, ob naturam eorum ſolutioni parum pronam, in rectum prius delabuntur, quam eorum vires penitus refringuntur. Plerumque ve-

ro, propter habitum aegrotantium parum firmum, haec medicamenta raro idonea, ſaepe manifeſtae noxae ſunt. Hic tamen praeterire ſilentio medicamentum, magni nominis, optimeque de medicina merentis, patrocinio nobilitatum, ſummae eſſet indiligentiae. De helleboro nigro loquor: Hunc magnis laudibus efferre ex propria experientia non dubitavit Meadius; ſpem ejus, cum ad menſtrua provocanda eſſet datus, perarro mentitam eſſe, audacter affirmans.

Dolendum eſt ſane experientiam recentiorum tanto viro in hac re minime ſuffragari. Hoc attribui poſſe exiguae hujus medicinae quantitati, plerumque adhibitae, inclinat animus ut arbitrer. Ita ſe rem habere, mihi fidem facit, quod accidit puellae, proſpere curatae ab amico meo ingenioſo Doctore Whyte, cujus multa in me collata beneficia, utiliſſimaque conſilia, ſemper grata cum mente recordabor. Juvenis viginti circiter annos nata, vegeto aſpectu, ſatiſque alias incolumi valetudine, niſi quod tardam concoctionem, praecordiorum dolorem, ali-

aque

aque menſtruorum deficientium propria, eum adhibuit medicum, certioremque fecit ſe menſtruam purgationem ſex menſes ante non paſſam eſſe. Ille, ex fama ejus illibata, ratus ſibi integrum eſſe, medicinam illi praebere, dedit, tinct. melamp. ſeſcunciam, cujus inſcriptio erat hujuſmodi, ſumat M. et V. cochleare parvum. Ad hoc minime animum attendens puella, totum medicamentum duabus vicibus epotavit. Nocte inſequente ſomnum prae inquietudine non capiebat, poſteroque die aegrotatione ventriſque doloribus vexabatur, veſperem vero verſus, ſigna haud dubia menſtruorum denuo revertentium laeta perſentiſcere coepit.

Sed alia auxilia, uteri regioni applicanda, majore cum ſpe ſucceſſus venditarunt medici; talia ſunt electricitas, balneum tepidum, et, proh pudor! res venereae, quas praecipere medicorum gravitas haud dedignata eſt. Horum primum electricitas, in uterum ipſum directa, haud immerito maximis eſt elata laudibus; quippe inſigni qua pollet

pollet vi corpus ſtimulandi, ſpecialiterque genus nervoſum, ad hoc malum averruncandum, apprime apta exiſtit.

Obſervationem ſummi momenti placet hic interponere. Huic adfectui inter medendum, temporis, quo medicamenta exhibentur, ratio diligentiſſima eſt habenda; nam quo foemina a tempore fluxus ſolito propius abeſt, eo major ſpes eſt remediorum votis cedentium; poſitionique huic, plane conſtat e regione eſſe, minorem ſpem curationi affulgere, quo magis a periodico ad menſtruandum niſu adhibita medicamenta diſtant.

Balneum tepidum bifariam adhibetur, fotus forma regioni uteri, balneique cruribus atque femoribus. Hanc curationis ſpeciem, omni prope generi malorum antiqui adhibuerunt; verum pericula recentiorum eam non aeque utilem eſſe ac antiqui credide-rint, demonſtrarunt.

Sequitur ut de rebus venereis dicendum ſit, quas a medicis in auxilium vocatas, ſupra memoravimus. Non dubium eſſe po-

teſt, quin hinc incitatio corpori admota vehemens admodum ſit. Sic alterius ſexus amor, cogitationes impurae, ſed maxime juſtus concubitus, totum corpus, ſed praecipue uterinam regionem, accendunt. Sed jure ambigi poteſt, num tanta beneficia coitibus ſolis tribuenda ſunt; multae enim res in novis nuptiis eodem pertinent, et ad eundem finem conſpirant. Omnes puellae conjugii ſpem fovent aluntque, et hoc in ſummis bonis ponentes, cum viris matrimonio conjunctae ſint, ſe ultimum felicitatis gradum attigiſſe arbitrantur. Quantum ex hac opinione commodi earum ſaluti profluxurum eſt, nemini obſcurum eſſe poteſt, qui conſideraverit ex animi ſtatu magna ex parte pendere ſanitatem corporis; illo enim ſollicito aut male ſe habente, haec accidere non poteſt.

Sed ut auxilia jam memorata efficaciora fierent, vivendi ratio praeſertim inſiſtenda eſt; et quoniam morbus a noxis debilitare ſolitis, ortum trahit, et a remediis ſtimulantibus, vel leniatur vel tollatur, igitur minime

minime inficiandum eſt, victum quam alentiſſimum, et ad ſanguinem creandum valentiſſimum, totum corpus maxime roborare, ſicque ad menſtrua provocanda, haud minime idoneum evadere. Eodem ſpectat vinum modica quantitate aſſumptum, et cum aqua dilutum. 'Concubitus neque 'nimis concupiſcendus, neque nimis pertimeſcendus eſt; rarus corpus excitat, fre'quens ſolvit *.' Temperies mediocris, neque in utramque partem inclinans, ſervanda; aër quam puriſſimus, qualis ſub divo, non humidus, eſt quaerendus; exercitatio, citra fatigationem, vires recreans, utenda; ſomnus, nec nimis longus, nec brevis, ſed potius ad longiorem vergens, uſurpandus; hilaritati et animi ſerenitati conſulendum; fricatione et munditia, ſummum corpus, quibus motus voluntarii inſtrumenta foveantur, excitandum; omnia, quae mentem turbant, cavenda; mediocris calor admovendus, nimius pariter ac frigus fugienda.

* Celſ. de re med. lib. 1. cap. 1.

FINIS.